

ipsum archiepiscopum scripsit, monens litteris et præcipiens ut depositum Rothadum Romam dirigeret, cum suis missis audiendum : sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum B. papæ ad urbem, et per novem circiter menses ibi commorante, nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderent. Tunc in die vigiliarum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, qui secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul, cum clero et populo in basilica Dei genitricis ad Præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, et in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurreret. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum et diaconorum, omnium conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, et ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, ne honore privaretur. Ubi vestitus episcopali Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum. Rursus exspectatis aliquantibus diebus, scilicet usque in diem natalium sacræ virginis Agnetis, qui est XII Kal. Februarias, sed nec sibi quisquam ad-

A fuit adversus Rothadum, jam restitutum episcopum aliquid altercans. Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilica ipsius virginis foris muros Urbis, via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis et promissionis suæ qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit. Qui coram multis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus, ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia B. Constantiæ juxta eandem S. virginis basilicam, decreto beatissimi hujus præsulis supradicti Rothadus, jam restitutus episcopus missarum solemniter celebravit. » Totius porro controversiæ suæ cum Hincmaro series disertim expressit Rothadus libello proclamationis contentam, quam Romæ degens obtulit summo pontifici, in quo vitæ ipsius acta continentur tomo III Conciliorum Sirmondi. Dein apostolicis litteris munitus, ad suam sedem regressus est : pro eodem Nicolaus ad Carolum Calvum scripsit, ut legitime restituto faveret, resque ipsius Ecclesiæ reddi mandaret qua episcopus « conscientia purus, conversatione innocens columbarum simplicitate, ac prudentia serpentis » insignis prædicatur. Post restitutionem vero adfuit concilio SueSSIONENSI III anno 866 ; item Tricassino, 867. Obiit rebus gestis in episcopatu clarus circiter anno 868.

ROTHADI EPISCOPI

LIBELLUS PROCLAMATIONIS

QUEM

Nicolao papæ cum Romæ sextum jam mensem expectasset.

(Conc. Gen., tom. VIII, col. 785.)

Ego Rothadus peccator, SueSSIONENSIS Ecclesiæ, sedem appellans apostolicam, irregulariter episcopatu privatus, calamitatum mearum suggero lugubrem historiam, non omnia quæ passus sum retexens, quod impossibile forsitan erat, et ne nimis fastidiosa narratio tuis, piissime præsul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur metropolitanus Hincmarus, sanctæ Rhemensis Ecclesiæ antistes, quibusdam occasionibus exortis, acri circa me infestatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem, quantum poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro suo libitu acquiescere volui quæ sacris perpendebam auctoribus esse contraria. Dumque ad synodum, jussu gloriosi regis Caroli, pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ convocatam, episcopi convenissemus, et ipse quasi omnium dominus præsidens ac prævalens, sententiam in me damnationis violenter ac præcipitanter jaculari acceleraret, hanc ego apostolicam sedem, atque apostolicum præsullem, universalis Ecclesiæ summum provisorem, appellare maturavi. Cumque mihi hoc denegare non præsumeret, sancta synodo decernente, ægre tamen eundi præbebat assensum, constituens dinumeratos dies ultra quos omnino non retardarem

C iter. Inde ego festinato cursu ad nostram civitatem reversus, de instanti itinere moras non patiebar, quam lætus, si ad apostolorum limina contendere meruissem, ut ad domini mei tanti pontificis et piissimi patris, omnium ad se confugientium tutissimi defensoris ac protectoris, sacram pervenirem præsentiam. Cumque jam e vicino parati itineris immineret egressus, litteras domino meo regi, et meo archiepiscopo dirigere curavi, nostram illis Ecclesiam committens, multumque postulans ut juxta suum uterque officium eam dirigere procurarent, donec de me excellentissimus Romanæ urbis præsul finem determinaret legitimum. Misi et litteras ad illum olim presbyterum, pro cujus ego regulari depositione, qui in stupro fuerat deprehensus, et abscissus a meo judicabar metropolitano, ut et ipse mecum huc ante tuam, domine papa, audientiam examinandus adveniret. Quarum exemplaria præ manibus habeo, et si vobis placet, apostolatui vestro offeram. Aliqua quoque capitula conscripta cuidam nostro confratri et coepiscopo transmisi, sub eodem temporis articulo per easdem manus deferens, quæ ut præmissum est memorato regi et antistiti destinaveram. In quibus sane capitulis mea talis postulatio continebatur, aliis episcopis qui in meam dam-

nationem participare volebant insinuanda, ut ipsi parati essent, sicut fraternitatis amatores et sectatores charitatis, juxta beatissimi apostoli sanctionem (*I Tim. vi*), meam defendere ac tueri salutem. Sed ille meus unanimis frater, cui hanc mei curam committebam, tunc defuit. Hincmarus tamen continuo causam persensit. Adhuc dominus rex, et isdem meus prælatus, in eodem loco manebant, ubi sub una eademque mora meæ parvitatæ epistolæ, et illa capitula, uti relatum est, præsentabantur. Moxque Hincmarus ipse archiepiscopus scripturam portitorem diligenter jussit inquiri, cur illis non ostenderet apices quos sigillatim detulerat. Qui confiteri compulsus respondendo subjunxit: Quia ille, inquiens, ad quem mihi crediti sunt perferendi, non hic modo apparet. Nec cessavit ille, donec persuaso rege subito quasi collecta synodo ex ipsis qui supererant episcopis presbyterum introduci fecit invitum, ipsum videlicet litterarum latorem. Cæperunt hinc et inde in medio positum movere, pulsare, et perurgere, sicuti hoc callide per insidias argumentatum erat, ut litteras, quas Rothadus per eum suo ad synodum metropolitano direxerat, citius præsentaret. Neque ad synodum missus sum, ait, neque a Rothado episcopo, cujus nec ego sum clericus, litteras accepi Hincmaro reddendas. Cumque nullo modo presbyter ipsa vellet capitula prodere, jubente tamen rege, coactus reddidit: moxque Hincmarus regem postulavit ut Transulfum abbatem ad me dirigeret: qui ad nostram civitatem celerrime perveniens, me jam paratum ut nostrum iter arriperem invenit. Tunc ipse abbas in atrio ecclesiæ assistens, publica voce ex verbo regis, et Hincmari archiepiscopi auctoritate, prohibere curavit, ut nullus omnino ab ipsa civitate mecum egrederetur, ac ire volentem Romam me prosequeretur. Nequaquam ita faciam, ego subintuli: sed sicut primum Romanum appellavi pontificem, iter dispositum, Deo auxiliante, minime differam. Hinc ego mirabar, et stupebam, quid sibi vellet talis immutatio, aut cur me a meo itinere retardarent. Sed prius aliquot dies fama vulgabat quod Hincmarus archiepiscopus dicere volebat; quasi ego per aliqua capitula scribens renovari mihi iudicium petiveram. Quod certe falsissimum est, eum nec illa capitula ad eum direxi, neque de aliquo tali iudicio ibi mentionem egi, nec electorum iudicium, secundum sacros canones, aut nomina, aut certe numerum expressi. Testor Deum creatorem omnium, quia nec in cogitatione mihi subripuit, ut appellationem hujus eminentissimæ sedis ad aliam aliquo modo rationem diverterem. Proh dolor! ablata est migrandi facultas, et circumseptus custodia in eadem sum civitate retentus. Acceleratur itaque de convocanda synodo: qua in suburbio nostræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio est invitatus. Tunc tres Hincmarus archiepiscopus episcopos ad me misit, mandans ad synodum ipsam ut sine mora venirem. Quibus ego respondi quod non mihi ita liceret,

A neque ego hoc ullatenus auderem, ut in præjudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris, ejusque excellentissimi rectoris, circaposito cuicumque præbeam aliquo modo assensum. Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quæ a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum tantum meruit principatum. Iudicium ergo illius ad quam proclamavi expeto, nec alibi nisi Romæ judicari consentio, quia præposterus ordo est inferiorem superiori anteferri. His auditis, qui missi fuerant synodo renuntiaverunt. Iterum secundo et tertio me continuatim invitantes, in eadem invenerunt ratione persistere. Novissime vero industrie persuadebant, suam offerentes fidem, nihil incommodi perpressurum, aut saltem domino regi in proximo loco synodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi nostri fratres Ecclesiæ nostræ filii jam suadere cæperunt, ut pio principi meæ parvitatæ exhiberem præsentiam. Anni ego, et ad locum quo me ducabant transivi, sacerdotalibus vestitus indumentis, sanctum Evangelium et lignum sanctæ crucis circa mea pectora gerens. Cumque me in quoddam diversorium pro foribus synodi a nostris omnibus separatum introduxissent, obnixis precibus postulavi per Leudonem diaconum, ut dominus rex locum mihi indulgeret secum loquendi. Qui mox pro sua pietate ad me indignum venire dignatus est, meque benigne audivit, sed exaudire non est permissus. Nam cum illum valde suppliciter anxieque roga-rem, ut mihi Romam eundi libertatem, sicut ipse concesserat, non tolleret, sanctamque apostolicam sedem in suis privilegiis honoraret, respondit hoc ad meum specialiter metropolitanum, sanctumque pertinere conventum; se tantum sacris episcoporum monitis ac dispositionibus humiliter obediturum profitebatur: et illico recedens in synodum abiit, ibique resedit. Rursus tres consequenter episcopos ad me miserunt, qui multum fortiter ad synodum ut introirem hortabantur, meque impellebant, nunc blandiendo, nunc minando, me subvertere volentes. Sed ego toto annis juxta votorum meorum primam intentionem perseverare contendi. Porro cum me perspicerent suis nolle studiis acquiescere obseratis ostiis in eadem sum cella inclusus; neque egredi omnino poteram, donec de me peccatore, sicut quibusdam tunc placuit, diffinirent. Meus etenim archiepiscopus voluntatis suæ propositum, quantum poterat, implere curavit: factusque est gratis meus ipse accusator, ipse testis, ipseque iudex: et sicut me absentem prout voluit culpabat, sic et temere judicare nec timuit, nec retractavit. Sed inter alia quæ mihi mendaciter objiciebat, hoc unum specialiter ingessit, quod presbyterum, cujus supra feci mentionem, injuste deposuissem. Quod procul dubio falsum est, ut multi idonei testes et episcoporum, et cæterorum clericorum, sive laicorum, et noverunt et noscunt. Quem tamen ipse jam tribus annis transactis, absque meo consensu, seu consultu,

in suam receperat communionem, eique sacerdotali officio, quo cum triginta trium episcoporum iudicio legaliter privatus erat, contra canonum statuta fungi præcepit: illum vero presbyterum, quem in locum damnati per tres etiam circiter annos substitutum habebam, per violentiam, me ignorante, sibi fecit adduci. Nam cum in dominicorum die ipse presbyter paratus esset in ecclesia missarum solemniam populo celebrare, jussu archiepiscopi repente ibi homines adfuerunt, qui presbyterum extra basilicam dolo educentes subito rapuerunt, et infatigabili cursu citius ad ejus præsentiam pertraxerunt. Quem ipse mox excommunicatum in carcerem retrudi jussit, illumque depositum genitalibus truncatum in meæ parœciæ ecclesia restituit. Hinc quoque mihi contumaciæ et obstinationis imputabat reatum, quoniam sibi in talibus inobediens existerem: hoc a me exigere volens, ut non quasi confrater et coepiscopus, sed ut proprius clericus, ad sua vota famularer. Similiter quod propter indebitam appellationem ad apostolicam sedem suis obtemperare precibus contemnerem; imo, quod ego non opinabar, canonicis institutionibus contrairem. Hæc autem et alia mihi pari modo falsa ascribebat, quæ, divina favente gratia, et misericordia opitulante, quæ favilla ad nihilum redigentur, et quasi fumus evanescent, te quidem, domine clementissime et coangelice papa, cum apostolorum meritis cooperante ac suffragante. Non enim me ipsum a multis meis excuso peccatis, aut de bonis justifico cum sciam quod innumera de me dici possint non bona. Verum tamen illa, quæ malitiose ad meam video damnationem esse reperta, Deo teste et iudice, qui judicaturus est vivos et mortuos, non vera esse pronuntio. Denique sæpèfatus archiepiscopus meus in eodem concilio tanquam imperator triumphans, et tanquam summus ecclesiæ pontifex decernens, subjugata suo potentatui, et oppressa fratrum humilitate jam mihi intrepide, et, ut reor impie, iudicium depositionis emisit: parvipendens quod ulli ulterius inde esset rationem redditurus, et quasi hoc nulli deberet, in seipso confidens: et illud satis innotuit, quando me, quia ipsum solum offenderam, nullius posse alterius sublevari auxilio demonstrare conabatur, totumque mihi noceret, quod aliud sperabam petebam præsidium. Et ecce tres episcopi, quos Hincmarus hujusmodi simplicitatis esse noverat, sententia excommunicationis, imo conspirationis ab ipso meo damnatore accepta, ad me violenter inclusum properabant, et sicut illis injunctum fuerat, lacrymosis suspiriis mihi propinabant. Mox

A ego in terra provolutus orabam, et adjurabam per nomen æterni Dei, ut ab isto iudicio cessarent, mihi que, ut assidue petebam, Romam proficiscendi licentiam non adimerent. Tunc e vestigio, tanquam in latronem, more satellitum homines in me manus injecerunt, meque rapaciter ad carceralem duxere custodiam. Quantis postea sim affectus injuriis, ac per diversa loca distractus, quanto fuerim labore fatigatus, lædet me, pudetque referre. Ad hoc namque coarctare satagebant, interdum aliquos honores, id est, unam abbatiam repromittentes atque spondentes, tantum ut in meam damnationem ego subscriberem. Interea ordinatur episcopus in cathedra viventis, quamvis ne unquam post appellationem Romani pontificis hoc fiat, sacri canones evidenter vetare noscantur. Neque enim, sancte pater, tua mandata per apostolicas epistolas debita reverentia, moreque solemnium, sive auditu congruo, fuerunt observata. Denique requirere dignetur vestra sancta pastoralis sollicitudo atque diligentia, quale mihi immerito testimonium nostra perhibuit Ecclesia, quando vestris venerabilibus legatis, Radoaldo atque Joanni, obvia fuit turba civitatis nostræ, ac circumjacentis regionis; et quid ab eis expetere magnis clamoribus, multisque precibus circa suum pastorem satagebant; licet ab Erchanrao episcopo, meo condicæesano, magnis minis atque percussio- nibus admodum prohiberentur, regis atque archiepiscopi mei interdictione denunciata, ne omnino aliquid hujusmodi clamare præsumerent. Et nunc ego omnium episcoporum minimus, qui tamen apud quosdam non episcopus, sed juxta paternitatis vestræ beatitudinem episcopus vocor, in Domino valde confidens, ad præcellentiam vestri præsulatus, piissime domine, confugere elegi, et de magnificentissima bonitate vestra auxillum sperans, ad sanctorum apostolorum sacratissima limina, opem suffragaminis impetraturus, decenter accessi. Ecce jam per dimidium annum ante januam apostolicæ pietatis pulsans assisto, rationem de omnibus, quæ mihi falso et injuste sunt objecta, reddere paratus: nullusque est qui in præsentem aliquam adversus me vocem proferat accusationis. Et quoniam ante vestram dignationem, neque me falsum exhibere, neque negotii mei causas exponere, vel preces meas, ut decuerat, scio perorare: restat ut ipsi de me, secundum sapientiam cœlitus vobis donatam, misericorditer quod cœpistis perficiatis, ne se jactitent temeratores, propter meam vilitatem et indignitatem, apostolica jura et canonica prævaluisse infirmare statuta.